



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PREMISLIENSIS-VARSAVIENSIS**
ritus BYZANTINI UCRAINORUM* IN POLONIA EPARCHIA PREMISLIENSIS RITUS BYZANTINI UCRAINORUM
AD GRADUM ET DIGNITATEM ARCHIEPARCHIAE METROPOLITANAЕ
PREMISLIENSIS-VARSAVIENSIS RITUS BYZANTINI UCRAINORUM EVEHITUR
ITEMQUE PROVINCIA ECCLESIASTICA CONDITUR EIUSDEM NOMINIS
AC RITUS QUIBUS MEMORATA NOVA ARCHIEPARCHIA METROPOLITANA Ad aptius providendum spirituali saluti
atque regimini Christifidelium ritus Byzantini Ucrainorum in dilecta Polonia commorantium, Nos, beati Petri Successores
de totius Dominici gregis bono solliciti, summa Apostolica potestate sequentia decernimus: Eparchiam Premisiensem
ritus Byzantini Ucrainorum ad gradum et dignitatem Archieparchiae Metropolitanae *Premisliensis-Varsaviensis ritus*
Byzantini Ucrainorum evehimus itemque Provinciam ecclesiasticam condimus eiusdem nominis ac ritus quibus
memorata nova Archieparchia Metropolitana. Sic conditae ecclesiasticae Provinciae uti suffraganeam damus Eparchiam
Vratislaviensem-Gedanensem ritus Byzantini Ucrainorum. Praeterea sedem huiusce Archieparchiae Metropolitanae in
urbe Premisia poni iubemus dum ibi extans templum Sanctissimi Cordis Iesu et Sancti Ioannis Baptiste cathedralis
ecclesia esse perget. Nova Archieparchia Metropolitana hos decanatus amplectetur: Premisiensem, Cracoviensem-
Crynicensem (sine paroeciis: Gliwice et Katowice), Olstинensem et Elbingensem (sine paroecia Gdańsk), hucusque ad
Eparchiam Premisiensem ritus Byzantini Ucrainorum pertinentes. Insper, quoniam nova Archieparchia Metropolitana ab
Eparchia Vratislaviensi Gedanensi flumine Vistula est divisa, pastorales ob rationes statuimus ut incolae urbium quae
prope idem flumen degunt, secundum fines civiles pertineant ad ipsam Archieparchiam Metropolitana. Ceterum
Venerabilem Fratrem Ioannem Martyniak, hactenus Episcopum Archieparchiae Premisiensis ritus Byzantini Ucrainorum, a
Nobis selectum inter candidatos propositos a Synodo Episcoporum Ecclesiae Byzantinae Ucrainorum, Archiepiscopum
Metropolitam Archieparchiae Metropolitanae, quam diximus, renuntiamus, cunctis factis propriis iuribus et oneribus tali
muneri adnexit. Haec omnia reliquaque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur.
Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad
Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum
ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo*
mensis lunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	ACHILLES card. SILVESTRINI <i>Congr. pro Ecclesiis Orient. Praef.</i>
---	--

Archangelus Moscone, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 10, pp. 793-794 © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana